



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XI. De maioritate & obedientia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1429.

XI.

De maioriata & obedientia.

Sacro approbante etiam Concilio statuimus, vt nulli clerici nobilium, capellani in capellis castrorum dominorum suorum celebrare praesumant, nisi ante episcopo, vel loci archidiacono obedientiam faciant manualement, vt ad Synodos veniant & capitula, certis temporibus & statutis mandata ecclesiastica recepturi, & suis dominis ac eorum castrensibus, secundum quod fuerit opportunum, relaturi; cum plebani, in quorum terminis castra consistunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem suorum dominorum. Quod si secus quispiam facere praesumpserit, per loci ordinarium vel archidiaconum condigne puniatur. Statuentes etiam sub poena excommunicationis iam latae sententiae, districte mandantes, vt si quando praedam vel spolium rerum ecclesiasticarum ad diuinum cultum deputatarum, seu etiam ecclesiasticam personam captiuam ad aliquam ciuitatem, villam, oppidum, seu castrum adduci contigerit, sacerdotes & capellani ciuitatum, villarum, castrorum, postquam sciuerint, non expectato super eo * suorum mandato, abstineant a diuinis interim, quoad persona captiuata, aut res ecclesiasticae praedictae in praefatis locis detinentur.

* f. superiorum

XII.

De his qui vi metuque absoluunt, vel absoluuntur.*

* qua vi
aut metu
causa sunt.

Hos qui absolutionem, vel quamcumque reuocationem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicti sententiis, per vim vel per metum extorserint, cum hoc, quod huiusmodi absolutiones, reuocationes sunt irritae, statuimus & publicamus, excommunicationis sententiae subiacere.

XIII.

Quia clerici & religiosi nonnulli, non attendentes, quantum sit obedientiae bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum est ariolandi, nolle acquiescere; & scelus idololatriae, obedire non velle; amissionem rerum